



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere  
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem  
libros partitum**

**Marulić, Marko**

**Coloniæ, 1532**

**VD16 M 1298**

De coniuge diligenda temporeq[ue] continendi. c. 8.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35578**

De coniuge diligenda tempore.  
que continendi. Cap. VIII.Eph. 5.  
Coloss. 3.

Eccl. 3.

Ioh. 8.

Leu. 15. 18.

**Q**uod autem viros respicit, videlicet non oportere contemni vxores, dictum est supra, sed vt euidentius ea res constet, dicemus nūc qualiter ipsa vxor diligenda sit, deinde etiam continendā tempora indicabimus. Paulus apostolus. Viri, inquit, diligite vxores vestras sicut & Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, & paulo post, ita viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua, qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Et alibi idem ait. Viri diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas. Diligere quidem iubemur & proximos sicut nos ipsos. Qui tamen proximum diligit, alterum diligit, qui vero vxorem diligit, seipsum diligit, cum vir & vxor vna caro sint. Tanto igitur intentius diligatur vxor, quanto magis proxima est. Quid autē proximius, quam duo in carne vna? Dilectionis præterea ordo exigat, vt primo loco nobis ipsi optemus bona secundo proximis. Primo igitur loco etiam vxor amanda erit, aut si quis inter primum & secundum esse potest medius. Ambo autem gignendæ prolis causa inter se coeant, non explendæ libidinis affectu. Alterum legitime conjugatorum officium est, alterum turpiter lasciuientium immunditia. Ambo etiam obseruent continendi tempora, dicente Salomone. Tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus. Tunc igitur a coniugij opere veneræque voluptatis vsu continere sese debent coniugati, cum ciuitas opprimitur calamitate, ne communi malo alijs tristantibus ipsi gaudere videantur. Sic enim in Iohela propheta imminente captiuitate ad Iudæos dicitur. Egrediat sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Ad menstruatam quoque vxorem accedere lex vetat, ne concepti foetus vitium corrupti sanguinis trahant, & morbosi liberi sanieque confecti nascantur. Videant igitur vir & mulier ne coitus desiderio victi, menstruorum tempore congregiantur, re

plus molestiæ accipiant ex natorum fœditate quam ex concubitu voluptatis: sed neque illo die coeant, quo rē diuinam facturi sunt, tunc enim facilius quod poposce- rint impe trabunt, cum casti purique ad supplicandum deo processerint. Hoc sane præcepit apostolus: dicens, *Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tem- pus vt vacetis orationi.* Tunc etiam magis accingant lumbos suos zona castitatis, cum sacrosancto corpori & sanguini Domini erunt communicaturi, vt quod in typo agni paschalis præcipitur, in vero agno qui ab- stulit peccata mundi impleatur. Plebi vocem domini die perendino audiruræ per Moysen iniungitur, ne ap- propinquent vxoribus suis, & Dauidi atq; his qui cum illo erant, panes propositionis ne esurientibus quidem dati fuere, nisi cum se mundos a mulieribus ab heri & nudius tertius cõfessi sunt. Quid autem sanctius illo pa- ne qui de cælo descendit? Quod ergo præcessit in figu- ra obseruetur in veritate, & hoc quidem ex consensu, vt enim se contineant coniugati, non alterius arbitrii est, sed amborum.

i. Cor. 7.

i. Reg. .21.

## De coniuge eligenda. Ca. IX.

**V**T autem concorditer ac sine querela procedant nuptiæ, par conditio quærenda erit in coniuge generis atque fortunæ. Iurgiorum causa eẽ con- suevit disparitas. Idcirco vir nobiliorem se aut opu- lentiorē non ducat, ne pro vxore patiatur dominam. Mulier quoque plebeia & vulgaris parūq; dotata non nubat præstantiori, ne forte non vxoris loco habeat, sed ancillæ. Quod si etiam inter æquales frequenter in- cidunt contentiones & lites & dissidia & similitates, q̄- to magis hoc timendum est, vbi alter maiorem suæ iactet titulos, ostendet stemmata, opibus gloriatur & multo fastu inflatus arroganter incedat; alter vero ni- hil horum habeat quo se illi exaquare possit, aut iniu- riam obiectæ vilitatis propulsare. Caueant igitur tam viri quam fœminæ matrimonio copulãdi, ne forte dũ coniugij iugum se subire credunt, iugum subeant ser-

Y